Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA BOTANICA
QVA DE

RVTA
EIVSDEMQVE
VIRTVTIBVS

PRAESIDE
DOMINO
ABRAHAMO VATERO
MED DOCTORE ET ANATOMES AC BOTANICES PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
EIVSDEMQVE FACVLTATIS MEDICAE
H. T. DECANO
AD DIEM XIII. AVGVST. MDCCXXXV
PRO LICENTIA
SVMMOS IN MEDICINA HONORES CONSEQVENDI
IN AVDITORIO MAIORI
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
PVBLICE DISSERET
AVCTOR ET RESPONDENS
IOHANNES ADOLPHVS KETTNERVS
VVITTEB. SAX.

VITEMBERGAE,
PRELO VIDVAE KOBERSTEINIANAE.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

PER ILLVSTRI
AC
EXCELLENTISSIMO NOBILI

DOMINO
IO. GODOFREDO
DE BERGER

POTENTISSIMI POLONIARVM
REGIS ET ELECTORIS
SAXONIAE
CONSILIARIO AVLICO ET ARCHIATRO
FACVLTATIS MEDICAE IN ACADE-
MIA VITEMBERGENSI
THERAPEVTICES PROFESSORI PVBLICO
EIDEMQVE
PRIMARIO ATQVE TOTIVS ACADE-
MICAE SENIORI

NEC NON

EXCELLENTISSIMO AC
EXPERIENTISSIMO

DOMINO

ABRAHAMO
VATERO

FACVLTATIS MEDICAE IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
ANATOMES ET BOTANICES PROFESSORI
PVBLICO EIVSDEMQVE H. T.
DECANO

ET

MAGNIFICO AC AMPLISSIMO

DOMINO

MART. GOTTHELFF LOESCHERO

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

MED. ET PHILOS. PROFESS. PVBLICO

PATRONIS

ET

PRAECEPTORIBVS

SVIS

AD CINERES VSQVE DEVENERANDIS

HOC SPECIMEN INAVGVRALE

CONSECRAT

IOANNES ADOLPHVS KETTNERVS



J. N. J.

DISSERTATIO SOLENNIS MEDICA BOTANICA. DE RVTA EIVSDEMQVE VIRTVTIBVS

I.



Elegantia, utilitas, neceſſitas atque potentia Plantarum, potiſſimum in arte medendi, adeo mihi nota eſſe uidetur, ut mea commemoratione non opus habeat, quoniam in omnes fere ſenſus externos incurrit. Namque artificioſiſſima ſtructura, et diſpoſitione partium, uiuidioribus coloribus, iisdemque

que mirifice uariantibus oculos recreant, odoris amoenitate et gratia nares afficiunt, et ſaporis ſuauitate delectationeque linguam demulcent, ſonum ſuauiſſimum in inſtrumentis Muſicis producentes, aures molliter tractant, ipſamque mentem hilarem reddunt, atque peculiari et amoeniſſimo contactu, praecipue florum, e. g. roſarum, quibus quosdam loco ſtragulorum et lecti uſos fuiſſe compertum eſt, ſenſum quoque tactus in uoluptatem quandam uix explicabilem abripiunt. De neceſſitate pariter, ac utilitate, in Arte Chymica, Pharmacevtica, Medendi et Oeconomica, iis ſatis ſuperque conſtat, qui has artes colunt, atque exinde fructus ampliſſimos percipiunt.

Potentiam tamen ipſarum plantarum, praecipue in Medicina nunquam ſatis laudandam, *Speciminis Inauguralis*, quod mihi in praeſenti edendum incumbit, loco, exemplo *Rutae* demonſtrare in animum induxi, et ab initio Diuinum Numen deuotiſſime precor, annuat meis conatibus ex alto quam clementiſſime, eosdemque ad finem ſcopumque exoptatum perducat.

II.

II.

Ruta, de qua agere apud animum constitui, licet herba sit etiam in uulgus nota, et in Arte Salutari decantatissima, tamen eius delineationem hic iuxta Methodum recentiorum Botanicorum suppeditare, operae pretium fore arbitror. Est igitur Ruta herba, gaudens flore tetrapetalo, foliis luteis in orbem positis, et, ut cum *Tournefortio* loquar, rosaceo, foliis irregularibus laciniatis, ex cuius calyce surgit pistillum, quod deinde abit in fructum subrotundum, ut plurimum tetragonum, ex quatuor saepe capsulis, axi affixis, compositum, semine paruo, recuruo, reniformi, uel lunam dimidiatam referente, nigro communiter, interdum glauco.

III.

Vnde uero Ruta nomen acceperit, et an uocabulum graecum, an potius latinum sit, auctores inter se non conueniunt. *Caspar Bauhinus Theatro Botanico* p. 235. existimat, Rutam forte dictam esse a graeco ῥύτη, atque citat antiquum Scriptorem *Iolaum de Rebus Peloponesiacis* scribentem, πήγανον in Peloponeso ῥύτην uocari. Consentientem etiam habet MAR-

CELLVM VERGILIVM, Secretarium Florentinum, interpretem *Dioscoridis* de Materia Medica p. 367. ex quo fortaſſis *Bauhinus* ſuam opinionem depromſit. Verba *Vergilii* ita ſonant: Meminimus, id agentes, cum *Dioscorides* rhytem ab aliquibus uocari rutam, *Nicandrum Poetam* et Peloponenſes incolas indicari. Siquidem *Iolaus*, antiquiſſimus Graecorum Scriptor, et cuius nomen nunc tantum auditur, ut teſtati alii ſunt, in Peloponeſiacis ſuis retulit: quam tota Graecia Peganon vocabat, Peloponeſum rhytem appellare. Ex his manifeſtum eſt, ab aliquibus Graecis ῥύτην dictam fuiſſe. Nec dubitandum alicui, a Peloponneſiorum rhyte, latinos rutam ſuam feciſſe. Frequens enim graecae literae v in latinam u mutatio eſt, quoties ſeruatis caeteris, transferendum a Graecis ad Latinos aliquid eſt. Contrariam uero opinionem huic fouere non dubitat *Henricus Stephanus*, Linguae Graecae peritiſſimus *Theſauro graecae linguae* Indice Part. II. p. 12. ita quippe ibidem loquitur: ῥύτη, Ruta, ex quo latino factum putatur illud graecum. Huic adſtipulatur *Chriſtophorus Cellarius Theſauro eruditionis ſcholaſticae*, exiſtimans, rutam, herbam notiſſimam dictam, quod propter multiplices, quos de ſe praebe-

at

at uſus, maxime eruatur. Quo loco ex *Ambroſii Calepini Dictionario Septem Linguarum* annotare uolui, uocabulum Ruta, Rutorum, de quo affert ſequentia: Ruta, orum, apud Iureconſultos quaſi eruta dicuntur: ut arena, creta et his ſimilia, nondum in opus conuerſa iuxta *Feſtum.* Ruta caeſa dicuntur, quae venditor poſſeſſionis, ſui uſus gratia conciderat, eruendaque contraxerat, ſecundum *Vlpianum.*

IV.

Species porro Rutae dantur variae, quarum quaedam ſunt genuinae, quaedam uero ad alias plantarum ſpecies ſunt referendae. Notabiliores igitur Rutae ſpecies ſunt ſequentes, et quidem *Tabernaemontanus* recenſet earum quatuordecim:

1) Rutam montanam,	1) Berg Raute
2) Rutam montanam ſylueſtrem,	2) Kleine Berg Raute
3) Harmalam,	3) Hermel Raute
4) Rutam caprariam,	4) Geyß Raute
5) Rutam bacciferam,	5) Beer Raute
6) Rutam caninam,	6) Hunds Raute

6, Ru-

7) Rutam lunariam,	7) Mond Raute
8) Rutam Pratensem maiorem primam,	8) Groß Wiesen Raute die erste
9) Rutam Pratensem maiorem secundam,	9) Groß-Wiesen Raute die andere
10) Rutam Pratensem maiorem tertiam,	10) Groß-Wiesen Raute die dritte
11) Rutam Pratensem minorem,	11) Klein Wiesen Raute
12) Rutam syluestrem hypericoidem, quae potius species Hyperici est.	12) Cunrads Kraut eine Species Hyperici
13) Ruta latifolia,	13) Wein Raute die grösſere
14) Ruta tenuifolia.	14) Wein Raute die kleine und edle.

Tournefortius, recentior Botanicus, habet Rutae species, quae sequuntur:

1) Ruta Hortensis, latifolia, ruta satiua uel hortensis.

2) Ruta graueolens hortensis,

3) Ruta hortensis, latifolia, arbusculae similis

4) Ruta

4) Ruta hortenſis altera, Ruta tenuifolia,
5) Ruta ſylueſtris maior, Ruta ſylueſtris graueolens,
6) Ruta ſylueſtris, minor, Ruta ſylueſtris minima,
7) Ruta Chalapenſis, latifolia, florum petalis villis ſcatentibus,
8) Ruta Chalapenſis tenuifolia, florum petalis villis ſcatentibus,
9) Ruta montana, ſpinoſa, Coriandri folio, flore albo,
10) Ruta ſylueſtris, linifolia, Hiſpanica,

Quidam etiam commemorant Rutam Murariam, die Mauer Raute, quae tamen inconuenienter, quoniam cum ruta, praeter colorem foliorum rutaceum, nihil commune habet. Nam Ruta, uti ex conſpectu facile apparet, eſt flos regularis, tetrapetalos, eidemque ſemen latens intra pericarpium quadricapſulare. Muraria uero, quae uulgo ita appellatur, granulares ſuos floſculos, in auerſa geſtat foliorum parte, vbi et capſulae reperiuntur, membranaceae, ſphaericae, annulo, vi elaſtica donato, munitae, quae huius contractione rumpentes, ſemina

minutiſſima fundunt. Elegantiſſime utraque herba eſt conſpicua in Tabulis *Tournefortianis*, et quidem Tab. CCCXVII. ita, ut ex eiusdem inſpectione vtriusque differentia ſatis ſuperque pateat. Si quaeritur, quaenam ex his ſpeciebus in Medicina ſit uſualis, reſpondemus ex IOHANNE SCHROEDERO: Ornat officinas hortenſis utraque, e quibus vulgarior quidem eſt latifolia, eaque maior, coeſiique coloris; praeſtantior vero tenuifolia minor et nigricantior, quam *Tabernaemontanus*, Wein Raute die kleine und edle ſupra appellauit. Haec hortenſis vulgo Raute, Wein Raute, diligenti cultura poteſt arboreſcere, qualem uidit et commemorat citatus auctor in ſua PHARMACOPOEA MEDICO CHYMICA p. 143. uti l. c. diſcimus. Antiquus Philoſophus PYTHAGORAS rutam hortenſem tenuifoliam minorem, die kleine Wein Raute, Marem et latifoliam maiorem, foeminam vocauit. Idem TABERNAEMONTANVS ex FLAVII IOSEPHI *Hiſtoria Iudaica* refert, quod tempore Herodis Arbor rutacea inſtar arboris ficus magna fuerit obſeruata.

V.

V.

Antequam ad virtutes noſtrae rutae progredimur, et medicamenta, quae ex eadem praeparantur, forſan operae erit pretium, quasdam peculiares obſeruationes de eadem in Medicina proferre. Obſeruant enim Botanici, quod ſi ruta, ubi in hortis fieri ſolet, prope Saluiam ponatur, illam bufones, utpote Saluiam amantes, ex ipſa fugare, porro lubenter et melius cum arbore ficus creſcit, atque gratiorem et fragrantiorem recipit odorem. Circa ipſam rutam bufones non obſeruantur, uti perhibent *Collectores* der Breßlauer Sammlungen Anno 1721. Menſe Auguſti p. 171. Deinde obſeruant cum *Tabernaemontano*, quod ſi foemina fluxu menſium laborans rutam attingat, aut ad eandem tantummodo propius accedat, illa perit. Et quoniam ſimile contingere vulgo aſſeritur, ſi tales foeminae cellam vinariam, in qua quaedam vini copia in doliis aſſeruatur, vel metallica laboratoria, in quibus metallis in fuſione conſtitutis, campanae et tormenta bellica elaborantur, intrat, introitus ille et uinum corrumpit, et metalla ad fuſionem inepta reddit: exinde poterit aliquis deuenire

in eam opinionem ac ſibi perſuadere, ſanguinem menſtruum mulierum eſſe venenatum. At enim vero hic error per ſe corruere videtur, quia exinde ſequeretur, femellas, durante menſiumfluxu, totas debere eſſe venenatas, quia ex illa maſſa ſanguinis in utero ſecernitur, quae lege circulationis ſanguinis per totum corpus circumagitur. Porro ſanguis menſtruus non poteſt eſſe venenatus, quia notum eſt, quod ex ipſo nutrimentum foetus in utero praeparetur. Tandem ſi cultro vel ferreo vel chalybeato praeciditur, facile exareſcit, docente hoc experientia iſtorum, qui hortos colunt, atque ipſius, quem antea excitauimus, *Tabernaemontani*, qui forſan hoc ex *Plinio*, qui idem ſtatuit, deſumſit. Cuius rei cauſa in fortiori acumine talium cultrorum forte eſt poſita, tenuiſſima rutae uaſa diſcerpente vehementius et vulnerante, nam hoc pacto motus ſucci noſtrae plantae multum intercipitur. Curioſitatis cauſa addimus, hanc plantam rutae, uti Botanici in Herbariis ſuis referunt, Herbam mortuorum Todten-Kraut vocari, quia cadavera demortuorum eius fumo tractauerunt, ob praecauendam putredinem.

VI.

VI.

Omnes itaque fere, qui de Herbis posteritati aliquid reliquerunt, in eo conueniunt, Rutae virtutes quasi esse inexplicabiles et exhauriri non posse, effectus enim eiusdem in Medicina et admirandos et pene infinitos esse. Summitates uero eiusdem maxime in usu sunt, quippe quae sale uolatili, sulphureo, vinoso, aromatico et amaro fixo pollent, adeoque succi neruei elaterem debilitatum in integrum restituunt pariter ac conseruant, tonum fibrarum ac viscerum confortant, sanguinem repurgant, eiusdem consistentiam naturalem et ad putredinem inclinantem egregie ab omni corruptione defendunt iuxta ac praeseruant. Atque adeo in morbis chronicis, contumacissimis et malignis contagiosis, peste, epilepsia, affectibus soporosis et hystericis, conuulsiuis, gonorrhaea virulenta, ipsisque venenis et morbis venenatis summopere praedicantur. Et quis, quaeso, omnes rutae et generales et speciales enumerare potest virtutes, quoniam, uti supra innuimus, sunt innumerabiles.

VII.

Atque ea propter videbimus, quid antiquiores et recentiores Medici hac de re ſtatuunt et annotauerunt. *Dioſcorides Materia Medica Lib. III. Cap. XLVII.* de Ruta, inter alia ſequentia habet notatu digniſſima: Lethalibus venenis aduerſatur, et pro antidoto eſt ruta ſatiua, poto acetabuli pondere cum vino eius ſemine. Quin etiam per ſe praeſumta eius folia, nec minus additis juglandibus nucibus et caricis, inefficacia venena reddunt. Profunt et contra ſerpentes ſimiliter ſumpta. Genituram in cibo potuque extinguit ruta: finit eadem tormina cum ſiccato anetho elixa potaque. Facit ad pectoris et lateris dolores, anguſtias ſpiritus, tuſſim, pulmonarios, coxendicis articulorumque dolores et circularium febrium cum tremore algores, ut praemonſtrauimus pota. Facit ad maioris inteſtini, quod Colon Graeci dicunt, muliebrium locorum, longanonisque inflationes in oleo decocta, mox clyſtere infuſo decocto illo. Trita eadem et cum melle coacta, tum a naturalibus ad ſedem toto eo ſpatio foeminis impoſita, ſtrangulatu vuluae concidentes excitat. Ventris

tris lumbricos omnes pellit decocta in oleo ruta, mox epoto decocto illo. Contra articulorum dolores melle coacta emplastri modo imponitur. Imponitur et cum fico contra resoluentes se in aquae naturam toto corpore solidas partes, quod malum Graeci hydropem anasarca uocant. Vtilis ad eadem praeterea in uino ad dimidias decocta: in quem usum decocto illo ualidius abluuntur: aut id bibunt. Confert oculorum claritati ruta in cibo, sale seruata pariter et cruda: grauesque oculorum dolores, emplastri modo imposita cum polenta mitigat. Capitis doloribus cum rosaceo et aceto subuenit. Sanguinis ex naribus eruptiones trita illisque indita compescit. Testium inflammationibus additis lauri foliis, emplastri modo imposita medetur. Papularum eruptionibus, cum cera myrteo oleo subacta. Sanat uitiligines albas cum uino, pipere, nitroque confricata. Eadem cum iisdem emplastri modo imposita, ulcera, quae thymos uocant, et formicas tollit. Impetigines sanat ex melle addito alumine, imposita. Facit ad aurium dolores succus in malicorio calefactus, tum auribus instillatus. Inunguntur eo additis foeniculi succo et melle hebetes oculi. Sanat

idem

idem ſacros ignes, ulcera quos herpetas uocant, et capitis manantia ulcera, addidis aceto, ceruſſa et roſaceo, inunctus. Emendat ruta grauem ceparum alliorumque halitum et acrimonias, commanducata. Lethalis contra eſt montanae et Syluestris rutae copioſus in cibo hauſtus. Eadem ſi cum florere incoeperit ad ſalgama legatur, cum rubore manus exulcerat: corpusque cum prurigine et inflammatione uehementiore inflat: eam ob cauſam oportet praeunctis oleo facie et manibus eam carpere. Ferunt praeterea, inſperſum gallinaceis ſyluestris rutae ſuccum, feles ab eis arcere. Quae in Macedonia ad 'Olcimum fluuium naſcitur ſylueſtris ruta, mortem in cibo facere ſtatim fertur. Veruntamen montanus locus eſt, et uiperis abundat. Bibitur ſemen eius ad interaneorum uitia, et antidotis utiliter miſcetur. Datur et contra urinae incontinentiam bibendum, frixum agreſtis rutae ſemen: finieturque poſt ſeptimum diem malum. Vocatur agreſtis rutae radix montanum moly. Similis ſatiuae agreſtis ruta eſt: bibiturque utiliter comitialibus et in dolore coxendicis. Menſes eadem cit, et foetus in utero necat. Aſperior quam ſatiua et efficacior ſylueſtris ruta eſt. Vitanda ideo in cibis:

cibis: nocet enim. *His Amatus Lusitanus Commentaria in Dioscoridem* Lib. III. p. 310. Venetiis edito, sequentia addit: Potens ruta est contra uenena ut ex Plinio elicitur Lib. IIX. Hist. Natural. Cap. XIX. inuerso modo hoc citatur, nam in Plinio agitur Lib. XIX. Cap. IIX. et ualida contra fascinationes, ut ab Aristotele Libro Problematum desumitur. Itaque neque Plinii opinionem, quod a furto accepta sit fertilior, neque Aristotelis ipsa uerba, utpote prolixiora, breuitatis studiosus, hic afferre, quod facile possem, in animo habeo. Cui placet, potest ipsos euoluere autores, et ex Amato citato simul nomina rutae Graeca, Hispanica, Gallica, Italica depromere.

IIX.

Ex paulo recentioribus *Rembertus Dodonaeus Historia Stirpium* rutae uirtutes cum depraedicat, iis, quae hactenus recensui, multa Experimenta equidem curiosa, attamen nimis prolixa addit, quae ibidem leget ac inueniet curiositatis studiosus. Mitto *Bauhinum, Chabraeum*, *Pancovium*, *Francum de Franckenau* et alios satis notos Botanicos, de industria, qui illi, quae *Plinius*, *Dioscorides* et *Tabernaemontanus* habent, fere

tantum repetunt. Vnicum adhuc addo *Paulum Hermannum*, qui in *Cynosura Materiae Medicae* ita fcite et eleganter de Ruta fcribit: Ruta uim aromaticam penetrantem et fpirituofam obtinet, cui quoque Salia fixa funt affociata unde in morbis chronicis, contumacisfimis et malignis indubitatum promittit effectum. Prae caeteris laudatur in pefte, uariolis, morbillis, epilepfia, paffione hyfterica et affectibus foporofis. Confert quoque in gonorrhaea, fatyriafi et priapifmo. Externe gangraenae et fphacelo fuccurrit. Vis concentrata confiftit in capfulis feminalibus, et paulo poft tres efficaciffimas, beneficio rutae tradit medicandi rationes:

Rec. Rutae
Sabinae
Abrotani ana Mi.

coqu. cum cerevifia et cape cum tinctura caftorei uel croci, contra omnes obftructiones uteri.

Rec. Capfal. feminal. rutae q. v.

affunde aquam propriam fpirituofam f. effentia, exhibe in morbis malignis cum camphora uel fpiritu uini camphorato et theriaca.

Rec.

Rec. Rutae

affunde aceti q. v. cape tempore peſtis pro praeſer uatione, adde rad. Zedoariae, Camphor. Ratione uſus externi cum Paulo Hermanno, *Hermannus Boerhave* conſentit, et in *Materia Medica* tale fomentum contra gangraenam ordinat:

Rec. Fol. recent. rutae Miv.
Maluae Mij.
Alliariae Mj.
Farinae lini ℥j.

Cum aqua decoct. uaſe clauſo ℔iv. admiſce Sapon. Venet. ʒij. F. Fomentum.

Ita noui, ſola ruta cum uino decocta, ſugillationes et contuſiones feliciſſime fuiſſe curatas.

XI.

Propero ad remedia ex ruta in Pharmacopoliis proſtantia, nempe occurrit ibidem 1.) Aqua ſtillatitia ex Plantarum cauliculis Menſe Maji collectis. Huic aquae efficaciſſimas uires in morbis oculorum adſcribit *Adamus Lonicerus* uideatur eiusdem Kräuter-Buch p. 202. quem quamplurimi Botanici ſequuntur, nec immerito, quia experientia quotidiana hoc confirmat. Contra Cancrum etiam aquam rutae eſſe inſignioris uirtutis, ipſe uidi in foemina, quae miſer-

rimo hoc malo laborabat et ab Chirurgis deſerebatur, quae applicata hac aqua conualuit, et adhuc bene uitam agit. Cum hac aqua 2.) oleum rutae deſtillatum praeparatur, id quod praeter alias uires, maxime uirtute antepileptica, in infantibus inprimis, praeſentaneum auxilium praeſtante, pollet. Hanc enim quoque obſeruaui adſtans, in infante grauiſſima epileptica, quae unica die multis uicibus repetebat, nihilo tamen ſecius aliquot guttulis olei rutae propinatis ſtatim ceſſabat. 3.) oleum infuſum optime diſcutiens. 4.) acetum rutaceum bezoardicum, et in affectibus ſoporoſis proficuum. 5.) Balſamum rutae ex eiusdem oleo, potentiſſimum in Apoplexia et Epilepſia remedium. Compoſitiones medicamentorum, quas ruta ingreditur, quae bene multae ſunt, lubens praetereo.

X.

Ad extremum ſilentio praeterire minime poſſum, quo pacto ruta in diaeta, cibo potuique admiſta, et medicum et oeconomicum praeſtet uſum. Namque refert antea laudatus *Amatus Luſitanus*, Italos rutam cum aliis herbis, ex quibus acetaria conficiuntur, magna cum delectatione, magnoque cum

com

commodo ſanitatis comedere, nec immerito et absque ratione, quia ruta amaritudine ſua uinoſa et ſtomacho grata eſt, et confortat. Atque ſi adhuc *Tabernaemontano* fides eſt habenda, ſculptores imaginum hac herba inter cibos utuntur, tanquam Medicina praeſeruatoria, contra uarios morbos, quibus ſunt obnoxii. Vſus eius cum pane butyrato magis innotuit, quam ut mea ulteriori commemoratione indigeat, laudatur tamen etiam ſummopere a *Thoma Bancouio* qui eandem oculos egregie confortare aſſeuerare non dubitat, et hoc modo uſitato, contra quamplurimos morbos, et in ſpecie ſalacitatem nimiam, pollutiones nocturnas et inſomnia uenerea commendat. Quomodo in potu ſit proficua, docet Auctor Scholae Salernitanae ſequenti uerſiculo:

Saluia cum ruta faciunt tibi pocula tuta.

Atque haec ſunt, quae de nunquam ſatis laudanda herba Rutae, feſtinante calamo conſcripſi quae omnia, ut Beneuolus Lector in bonam partem accipiat, enixe rogo.

S. D. G.

